

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Fabula a
cum fontibus proximo et primo

Apud actores secularium litterarum,
ut apud Oracium, mus loquitur muri et mustela uulpecule
ut per narrationem fictam ad id
quod agitur uerax referatur significatio.
Vnde et Esopiales fabulas ad eum finem relates
nullus ineruditus fuit qui putaret appellanda mendacia.
Hec et in sacris libris, ut in libro Iudicum,
Cum ligna sibi regem fecerunt
et loquuntur ad eum et ad inuicem
quod totum fingitur.
Ficta quidem narratione
sed ueraci significatione hec dicuntur.

Augustinus in libro contra mendacium circa medium.

An possint tales fabulae absque mendacio induci,
et proponi ad expressionem veritatis,
inquiri, et inuestigat Aug. eleganter,
et diligenter in libro contra Mendacium,
circa medium: vbi ait, quod
apud auctores saecularium litterarum,
vt apud Horatium, mus loquitur muri, mustela vulpeculae,
vt per narrationem fictam ad id,
quod agitur, verax significatio referatur.
Vnde et Aesopiales fabulas, ad eum finem relates,
nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia.
Sed et in sacris libris, vt Iudic. 9.
ligna sibi regem fecerunt,
et loquuntur ad eum, et ad iudicem,
quod totum fingitur, vt ad rem, quae intenditur,
ficta narratione,
sed ueraci significatione, veniatur.

Iohannes Gallensis, *Compendiloquium*, 8.6.10
(Rome, 1655, p.391).

Nec apud auctores tantum saecularium litterarum,
ut apud Horatium, mus loquitur muri et mustela uulpeculae,
ut per narrationem fictam ad id,
quod agitur. uerax significatio referatur:
unde et Aesopi tales fabulas ad eum finem relates
nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia.
sed in litteris quoque sacris, sicut in libro Iudicum,
ligna sibi regem requirunt
et loquuntur ad oleam et ad ficum et ad uitem et ad rubum.
quod totum utique fingitur, ut ad rem, quae intenditur,
ficta quidem narratione, non mendaci tamen,
sed ueraci significatione ueniatur.

Augustinus Hipponensis, *De mendacio*, 13.28
(CSEL 41, J. Zycha ed., p.509, ll.2-12).